



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

Eck, Johannes

1534

VD16 E 292

Dom. VI. post Pent. Euang. Cum turbæ irruerent Lucæ 5 Homiliæ tres

urn:nbn:de:hbz:466:1-35259

DOMINICA SEXTA

POST FESTVM PENTE

costes, euangelium

Luce V.



In illo tempore: Cū turbæ irruerent in dominum Iesum, ut audirent uerbū dei, & ipse stabat sec⁹ stagnū Genesareth, & uidit duas naues stātes secus stagnū. piscatores autem descenderant, & lauabāt retia. Ascendēs autē in unam nauim, que erat Simonis, rogauit eū

à terra reducere pusillum. & sedens, docebat de nauicula turbas. **V**t cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia uestra in capturam. **E**t respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in uerbo autem tuo laxabo rete. **E**t cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam. **R**umpebatur autem rete eorum, & annuerunt socijs qui erant in alia nauī, ut uenirēt & adiuuarēt eos. **E**t uenerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita ut pene mergerentur. **Q**uod cum uideret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me domine, quia ho-

mo peccator sum. stupor enim circū dederat eū,
 & omnes qui cum illo erant, in captura piscium
 quam ceperant. Similiter autem Iacobum & Io-
 hannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis.

Matth. 4.
 Marci. 1.

Et ait ad Simonē Iesus: Noli timere, ex hoc iam
 homines eris capiens. Et subductis ad terrā nau-
 bus, relictis omnibus, secuti sunt eum.

HOMILIA I.

Ambrosi⁹. **P**Ræclare, inquit Ambrosius, dilectissimi in domino
 fratres, quod ubi Christus iam multis impartitur
 uaria genera sanitarum, nec tempore nec loco ce-
 pit à studio sanandi turba cohiberi. ita paulo ante hoc eu-
 angelium idem hoc Lucas commemorauit; & cum do-
 minus turbam populi fugeret, uenit ille tamē ad eum, &
 tunc prædicauit eis in synagoga. Hinc iam hodiernum se-
 quitur euangelium. ubi dicit Theophylactus, fugit domi-
 nus gloriam, quæ eum ob hoc magis sequebatur. Princi-
 pio autem consideranda nobis hic uenit magna populū
 pietas, tum feruor uehemens audiendi uerbum dei.
Cheoph. Ait enim Lucas, factum est cum turbæ irruerent in eum
 ut audirent uerbum dei. Hi nimirum boni erant & pñ. q̄
 niam non omnes utiq; Christum secuti sunt bono adfectu,
 sed alij ex temeraria præsumptione, alij ob sui commodū,
 alij ut eum comprehenderent in sermone. Simples au-
 tem quærebant doctrinam illius, & cogitabant illud, qd
 Petrus dixit ad dominum: Domine, quò ibimus: uerba ui-
 tæ habes. Tam suauis erat Christi doctrina, tam suauis spi-
 ritus, tam suauia uerba illius, sed iustis tantum & bonis,
Johan. 6 quibus gratus extitit sermo eius. Sic Sapiens, Spiritus, in-
Ecci. 24 quit, meus super mel dulcis. & in Canticis, dulcis est & su-
Psalm. 118 auis sermo tuus. Poterant ergo dicere ad dominum illud
 Dauidis: Quàm dulcia faucib⁹ meis eloquia tua, super mel
 ori meo?
Matth. 13 ¶ Matthæus ait illum egressum ex ædibus, sedisse iuxta

mare. Vbi sanctus Hieronymus dicit domum non potuisse capere populum tantum, nimis enim angusta erat illa, in qua discipuli audiebant mysteria dei. Misericors iraque dominus exiit domum, & sedit iuxta mare mundi huius. Neque scrupulosum est, quod sterisse eum Lucas ait, & Matthæus sedisse, quoniam utrunque fieri potuit, ut qui paulo ante steterit, nunc sederet. Mare autem Genezareth uolunt quidam idem fuisse stagnum cum mari Galilææ, alij geminum fuisse dicunt. Qua de re aliàs nunc sufficiat monuisse, quod & stagnum Iudæi maria uocant, quo loquendi modo hic quoque utitur scriptura. Et uidit duas naues stantes secus stagnum, piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Hæc quia ad literam patent, expositione non indigent.

¶ Verum quia in euangelio non tantum facta, sed & factorum significationes considerare debemus, constat hoc quoque sine mysterio factum non esse. Quoniam mare mundum significat in sacris literis, eo quod sicut illud fluit & refluit, sursum deorsumque iactatur & fluctuat, eicitur in litus, sterile est & periculosum, monstris plenum, uentosum, & multum amarum: ita plane in hoc mundo nihil stabile est, nihil perpetuum: hoc enascitur, illud deperit: hic euehitur in rota fortunæ, iste plane per præceptum corruit. Mundus quoque hic bonos omnes, recusantes ululare cum ipso, uelut euomit. Nec est quod ex eo fructum speres, sterilis enim est, curis & ærumnis plenissimus, periculosus, totus laqueis inuolutus, abundans malis tum hominibus tum dæmonibus. Ibi dici non potest, quantum sit uentorum, hoc est, tentationum, quanta amaritudo, & quam plane nullum syncerum gaudium. (reliqua uide in Kayser-Spergio) Nauique porro duæ significant synagogam & ecclesiam, uel duos istos in ecclesia unitos populos Iudæorum & gentium. Quandoquidem mare mundi huius trans fretare proprijs uiribus non possumus, quod Pelagiani crediderunt: nauem indigemus, quam nobis dedit deus, & ea in paradiso quidem fuit innocentia, quam Eua confregit, deinde lex naturæ, mox synagoga extitit usque ad Christum, qui denique nauiculam nobis dedit ecclesiam. In eam congregati sunt gentiles & Iudæi, quoniam qui operatur

Aug. tracta. 44. et 49. super Iohannem.

Mundus mare

- Salat. 2.** est **Petro** in apostolatū circuncisionis, operatus est & **Paulo** inter gentes, sed & **Paulus** inquit, Qui enim operatus est **Petro** in apostolatū circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes. Et **Iacobus** & **Cephas** & **Iohannes**, qui uidebantur columnæ esse, dexteræ dederunt mihi & **Barnabæ** societatis, ut nos in gētes, ipsi autē in circuncisionē, tantū ut pauperū memores essemus. Quod etiā sollicitus fui hoc ipsum facere. Morali sensu solent nauiculæ istæ ad pœnitentiam quoq; referri, sed nos id iā missum facimus.
- Ambrosi.** ¶ Ascendit autē dñs in unā nauim quæ erat **Simonis**, neq; etiā temere, auctore **Ambrosio**, sibi nauiculam **Petri** **Christus** elegit, quæ adhuc fluctuat secundū **Matthæū**, secundum **Lucam** repletur piscibus, ut & principia ecclesię fluctuantis, & posteriora exuberantis cognoscas. Nauis em̄ **Petri** ipsa est ecclesia **Christi**, qui eam illi primum cōmendauit regendam. Et bene dicit, qui ascendit in unam nauim, unitatem declarare uolens ecclesię, extra quam nemo saluabitur. Namq; una illa ecclesia est, quæ à spiritu sancto sanctificatur, mouetur, uiuificatur & regitur, sic enim de illa sponsus inquit, Vna est columba mea, perfecta mea: una est matri suæ, electa est genitrici suæ. frustra sperant ita que neochristiani, spiritum sanctum gubernaturum etiam eorum nauim scissam & ruptam undiq; & tot hæresibus dissectam. tantum enim ille gubernat nauiculam **Petri**, ecclesiam catholicam. isti omes dispergunt & sectas faciunt, quod non est opus spiritus sancti, sed diaboli, qui neochristianorum gubernat ecclesiam. De hac nostra autem ecclesia inquit **Paulus**: Solliciti seruare unitatem spiritus in uinculo pacis. Et iam olim in exordio ecclesię nascentis, una tantum erat nauicula. siquidem multitudinis credentium erat cor unum & anima una. Praclare autem **Ephesios** suos, & in illis nos quoque docet **Paulus**, quomodo uiuendum sit in unitate ecclesię catholice, cum ait: Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput **Christus**: ex quo totum corpus compactum est, & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate. Ecce quomodo o.
- Cant. 6**
Ecclesia
vna.
- Eph. 4**
- Actu. 4**
- Eph. 4**

porteat esse unitatem membrorum in corpore ecclesie Christi, & administrationem in illis opemque mutvam. Verum id non faciunt hæretici, qui se segregant, & subinde noua moluntur, non conformantes se cæteris membris. Vnde hoc quæris? non aliunde sane, nisi quia non se dent in nauicula Petri, sed in ista Iudæ proditoris. Non turbatur autem ista quæ Petrum habet, turbatur quæ habet Iudam, quoniam non habet firmamentum ecclesie Christi. Ecce attendite hoc neochristiani omnes, geminam uidit Christus nauiculam, & unam tantum ingressus est, ut unitatem commendaret, & sectiões condemnaret. Quid ita insanitis furiosi, quod ingredi simul omnes, imo præcipitari mauultis in alteram istam, quam & rimis totâ esse fissam cernitis, & in qua damnatione ipsi uestrâ operamini? Sedit in quâ Christus in nauicula Petri, cui ille commendaturus erat ecclesiam, sicut promisit antea, dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. promissum hoc impleuit ei apud Iohannem, inquit: Pasce oues meas. Quod tu require in hominibus de festiuitate sancti Petri. Atque hoc illud est, quod Christus tantum nauiculam ingressus est Petri, quamuis enim nauiculæ plures sint plures etiam ecclesie, & earundem rectores plures ac gubernatores, illi tamē omnes in unam tantum uocati sunt partem sollicitudinis. Petrus autem uniuersam ecclesie curam suscepit.

Ambrosio.

Matth. 16.

Johan. 21.
Parte. 3.

3. ¶ Sequitur, Rogauit eum à terra reducere pusillū. Vnde hic mansuetudinē Christi, quō obsecrat Petrū, ut à terra abducat. Ecce deus hominē, creator obsecrat creaturā, dominus seruū, magister discipulū. Qua in re immensam consideramus Christi, tū misericordiam, tū humilitatē. Dominus celi & terræ ex creatura sua tantulū perit obsequium, ut abducat paulisper à terra, ut sic eū plebs cōmodius audire posset. Tanta tamq̃ exquisita in Christo fuit diligentia promouēdæ utilitatis hūanæ & salutis animarum. Secundum literam quidem satis patet, quomodo Petrus ut erat nauium peritus, Christum abduxerit à terra. mystice autem siue moraliter, dominus, cum esset populo prædicaturus, uoluit à terra abduci, ut sic declararet eos qui doctrinam suam sequi uellent, abstrahere sese

Theoph.

debere à terrenis adfectibus & concupiscentiis, ab auaritia, uoluptate carnis & similibus. Atqui pusillum tantum à terra abduci postulat nauim, eo ipso quoque docere nos uolens, quod nullus tantæ sit felicitatis prædicatorum, quæ semel statim & primo, quod aiunt, impetu possit homines auocare à rebus terrenis, quis enim subito adeo mundum relinquat? Sic nimirum condescendere moribus hominum potuit Paulus, cum diceret Corinthiis: Non potui uobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, ita quam paruulis in Christo lac uobis potum dedi, non solidum cibum. Sic & Petrus noluit graue iugum imponere Christianis. Omnia igitur hæc portare cum modestia, ordinatio bona est, pusillanimitatis enim foret, non posse sustinere diuitias: impatientiæ, non posse sustinere paupertatem. Prædicator itaque moraliter abducatur paulatim auditores suos à terra & cupiditatibus terrenis.

1. Corin. 3

Actu. 15.
Gregori.

Beda.

¶ Sicque dominus docuit plebem ex nauis. Etiamnum hodie ex hac nauis docet dominus homines, dum autoritate ecclesiæ (ut ait Beda) suæ docet, extra quam nulla est sana doctrina. & sic quicquid Hufs, Vickleph, Pirckardi, & Lutherani docent, nihil est, quoniã non sunt illi uiri ecclesiæ. Ne audiatis itaque istos profugos & in omnibus regionibus uagabundos erroneos, propriorum somniorum coniectores, tantum illos audite prædicatores, qui cum Christo è nauicula Petri docent. sic Sapiens ait, Appropinquate mihi indocti, & congregamini in domo disciplinæ. sed quænam est hæc domus disciplinæ? ipsissima, ut sic loquar, ecclesia Christi, extra quam, quod iam sæpe diximus, non est salus neque ulla beata ueritas. Quamuis autem & crux Christi dicatur nauis, id tamen lubens prætereo.

Eccle. vlt.

Eccle. 3

4. ¶ Ut cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia uestra in capturam. Non semper docuit dominus, siluit interdum. sic enim omnia tempus habent. Cum ergo iam diu docuisset, uoluit sermonem suum etiam miraculo confirmare, & mystica quadam significatione, quod uerbum suum insigni quadam uirtute totum esset capturum homines, Petrum & coadiutores suos apostolos, atque deinceps per prælatos ecclesiæ & prædicatorum: idque etiamnum operatur uerbum CHRISTI, non

tantum in auribus audientium, sed & in cordibus apostolorum. ita enim mystice & spiritualiter intelligitur **Psalmista**, cum ait: Verbo dei firmati sunt cæli, hoc est, apostoli, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. **Psalm. 32**
Christi uerba, quæ dixit **Petro**, in se quidem exigua uidentur, sed multa in uirtute complectuntur. **Duc**, inquit, in altum. **Ambrosius** ait, **Et si aliis imperatur ut laxent retia sua**, soli tamen **Petro** dicitur, **Duc in altum**. **Et bene apostolica instrumenta piscandi**, retia sunt, quæ non perimunt capros, sed referunt. & de profundo ad lumen extrahunt, & fluctuantes de infernis ad superna perducunt. sic omnes apostoli uerbo dei homines ceperunt, ne perirent. Sed tamen **Petrus** ex omnibus unus specularem ad huc habuit piscandi commissionem, de qua **Matthæus**: **Matth. 17**
Mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle. Sed de ijs plura in festo sancti **Petri**. tantum hæc nunc eo commemorauit, ut magis consideretis immensam illam **Christi** sapientiam, cuius non uerba tantum, sed & facta ineffabilem habent significationem. **Duc in altum**. **Hoc uni dictum est Petro**, sequitur, **Et laxate retia uestra in capturam**, idque multis loquutus est dominus. quod quis est obsecro, qui non uideat & intento animo contempletur, dominum singularem prærogatiuam dedisse **Petro**? **Mystice** tamen doctores altum istud sic exponunt, quod ubi cunque profundi sunt gurgites, ibi & pisces plurimi sunt. Ita hic **Christus** **Petro** commisit & successoribus, ut nauiculam ecclesiæ in altum ducerent secularis dignitatis: ita scilicet ut reges, imperatores & principes conuerterent ad fidem, & caperent retibus prædicationis suæ, quomodo deinde **Constantinum**, **Theodosium** & alios complures **Cæsares** conuerterunt ad fidem. **Nauiculam** quoque duxerunt in altum secularis sapientiæ, dum doctos & sapientes mundi huius ceperunt in fide. **Aut nonne in altum duxit nauim Ambrosius**, quando **Augustinum** in mundo doctissimum retibus suis attraxit ad fidem? **Et Paulus**, quando **Dionysium Areopagitam** conuertit? **Petrus** quoque nonne, quod hic iussus erat, in altum duxit nauim, quando conuertit **Clementem**? **Atque hoc deinceps sequuti sunt prædicatores alij omnes**, qui nauim ad-

duxerunt in altum humani conuictus, quando magna
 auctoritatis homines conuerterunt ad fidem, Cornelium,
 centurionem, eunuchum reginae Candacis &c. **Actu. 13. 8.** **S.** cur
 sermonem illorum reuera uocat? ideo nimirum, quando
 rere huc illuc undique contextum est, atque id in prædi-
 catore quoque esse debet. ille enim quanta maxima po-
 terit industria inretere debet nouo testamento uetus il-
 lud, & epistolas Pauli euangelij, atque omnibus illis ue-
 lut emblemata iniicere sanctorum patrum scripta. **Hinc**
Ambrosi. & **Ambrosius** ait, Quamnam sunt apostolorum, qua laxa-
 ri iubentur, reuera, nisi uerborum complexiones, & quasi
 quidam orationis sinus & disputationum recessus, qui eos
 quos ceperint, non amittant?

¶ Atqui sunt qui inter hæc prædicatoribus obganni-
 ant, quid ita sacerdos omnia confundat, quid hæc illis
 misceat, perturbet. Quisquis hoc apud se cogitat, memi-
 nerit Christum hic concionem reti comparare. sicut er-
 go contextum hoc est, ita quoque concionem compara-
 tam esse decet. Aut quot obsecro iam uestrum hic sunt,
 & quam inique comparati estis omnes, quam inæquali-
 bus moribus, uita & intellectu? Hinc opus esset me cuique
 aliquid dicere, quod ex concione sibi peculiariter seruet.
 Verum hic mirabili textura oportet me singula singulis
 inferere, unde cuique pro suo captu aliquid cedat. **Qui**

Augustin. ergo minus ualent intellectu, ne ferant molestius, si præ-
 dicator sublimè dicat, & quod eorum capacitatem exce-
 dat. forte enim adsunt, qui illud exactè intelligant. **Vicif-**
sim quoque si quid humile ille prædicat, qui sapientes si-
 bi uidentur, ne contemnant. **Concio** enim rete quod-
 dam est, neque magnos tantum, sed & paruos pisciculos
 capere debet. **Quo** nomine regnum cælorum sagenæ missæ
 in mare confert dominus, qua omnis generis pisces capiun-
 tur. dominus deus & mihi loquendi gratiam & uobis cū
 fructu audiendi donare dignetur, ut sic uerbo dei pi-
 sces quàm plurimos capiam: uos inquam,
 quibus unā mecum requiem
 & uitam tandē concedat
 æternam. Amen.

Math. 13

HOMILIA SECVNDA SVPER

euangelio eiusdem do-
minicæ.

IRruentibus undique turbis ad dominum, & iam uerbum illius uix audire ualentibus, ut audire eum possent commodius, ascendit in nauiculam: & finito sermone, præcepit Petro ut nauim duceret in altum, & laxarent retia. Atque tunc respondit ei Simon: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, nunc autem in uerbo tuo laxabo rete. Adhuc illum euangelista Simonem uocat, id enim erat ei nomen iam inde ab infanzia & tempore suæ circuncisionis, sicut iam paruulis in baptismo nomina induntur. Et benedictus ille fuit Simon, hoc est, obediens, quoniam semper ille hoc unum in primis uotis habuit, ut obediret deo. Quod autem nunc Petrus appellatur, id ipsum ei CHRISTVS promiserat apud Iohannem: Tu uocaberis Cephas. Mutatio autem illa facta est apud Matthæum, quando dixit illi dominus, Tu es Petrus &c. Iohan. 1
Matth. 16

Præceptor, inquit Petrus, Ecce quo honore Christum habet Petrus, & quam efficax fuerat uerbum domini in corde Petri, ut statim illum præceptorem uocaret. Et uere quidem ille præceptor est, qui præcepta nobis dedit euangelica, atque ipse uicissim quem præceptorem dixerit, etus non contemnit sequi præceptum, alias enim ille piscaturus amplius non erat, quando tota nocte, quod tempus piscationi aptissimum est, nihil ceperat. si quidem nunc plane periculum erat, ne nihil potro caperet. Verum hic plane Simon erat, quia obediens domino. Mystice tamen tota nocte nihil ceperat, nocte inquam ueteris testamenti, quando adhuc nox esset, nondum exorto sole iustitiæ, tunc enim tantum exercebantur ceremoniæ, neque ulla habebatur sanctimonia sacramentorum, quæ nos nunc habemus. Quod autem tempus illud ante CHRISTVM nomine noctis significetur,

- Rom. 13.** & ipse satis magnus testis Paulus adest, qui dicit: Nox processit, dies autē appropinquauit. Atque hac ipsa nocte nihil esse captum, quantumuis longa piscatione idem ille restatur, quum ait: Nihil ad perfectum adduxit lex. Aut nōne pisces illi fuerunt uere magni & magnifici, Abrahā ipse & magnanimus Moyses, Dauid quoq; & alij complures, qui sola gratia dei, nō obseruariōe legis magni facti sunt? Per noctem etiam peccatum mortale intelligitur, quod opus hominis plane sterile facit. sic enim peccator indignus est pane quo uescitur, ita dicente Christo, Si quis in nocte ambulat, facile impingit, quia lumen in eo non est. Magnum sane damnum peccatum est, quod omnem hominis laborem perdit & interimit: neq; illum tantū quē facit in peccato mortali constitutus, sed & ista opera bona quæ antea fecerat, sicut dominus dicit per Iezechielem: Si auerterit se iustus a iustitia sua, & fecerit iniquitatem, secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid uiuet? omnes iustitiæ eius, quas fecerat, nō recordabuntur. In præuaricatione qua præuaricatus est, & in peccato suo quod peccauit, in ipsis morietur.
- ¶ Ecce quā horridam nobis noctem peccatum ingerit mortale, in quo non tantum nullum opus meritorium fieri potest, sed & quod antea factum est, hic perit. Hæc ista nocentissima nox est, de qua Iob ait, Noctem illam tenebrosus turbo possideat, expectet lucem & non uideat. Idē quoq; Paulus docet, quod in nocte peccati nihil operemur boni, quum ait. Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est. Noctem quoq; tribulationis adducunt hic nōnulli mūdi huius. Verum equidem illam noctem esse non crediderim, in qua Christus ipse lux clarissima tantopere relucet: quoniam in hac nocte plura opa meritoria cepit Iob, q̄ uel Saul, uel Salomon in summa rerum omnium felicitate. Vtique enim uerum est illud, quod per multas tribulationes ingredi oportet regnum cęlorum. Sic Paulus sanctorum persecutiones & tribulationes commendat, atque de Thesalonicensibus gloriatur, propter fidem eorum & patientiam in persecutione effulissime gaudēs. Vnde fit ut tēporū horū prosperitatē magis noctē reputē, quā uel persecu-
- Iob. 7**
- Iohan. 11**
- Iezec. 18**
- Iob. 3**
- Rom. 6**
- Iob. 1**
- Actu. 14**
- Diuitie.**

tionem, uel quamcunq; tribulationem. Bona siqdem temporalia uix magnis demum laboribus acgruntur, multa cura uix quoque conseruantur, & uehemēti dolore amittuntur, quod & Sapiens testatur, ingens. **Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem: & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs.** Quibus autem curis possideant, ecce nobis testis adest Iob, & ait: **Sonicus terroris semper in auribus illius, & quum pax sit, ille semper insidias suspicatur.** Quantis doloribus amittantur, declarat Ecclesiastes, dicens: **Est alia infirmitas pessima, quam uidi sub sole. diuitiæ conseruatæ in malū domini sui. perierunt em̄ in afflictione pessima.** Hinc ego ambulantes in prosperitate, nocte operari arbirror magis quā eos, q̄ in persecuutione & tribulatione uix extremum retinent spiritum. Nanque & mali duriter laborant, & operosius aliquanto in ædificanda sibi gehenna, quā boni in emerenda salute, sicut ipsi fatentur: **Lassati sumus in uia iniquitatis & perditionis, & ambulauimus uias difficiles.**

Eccēs. 4

Iob. 15

Eccēs. 5

Sapi. 5

¶ **Et si itaq; Petrus tota nocte nihil ceperat piscium, iam tamen magna fiducia dicit ad dominum: In uerbo tuo laxabo rete. Nisi enim ædificauerit dominus ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eam: sic etiam nisi dominus cor illustrauerit auditorum, doctor in nocte laborat: nisi in uerbo gratiæ supernæ laxata fuerint instrumenta disputationum, frustra uocis suæ prædicator iaculum mittit: q̄a fides populorum non sapientia uerbi compositi, sed diuinæ uocationis munere prouenit.** Discant hic prædicatores nō laxare retia sermonis in fabulis hominum, sed ut hic Petrus in uerbo Christi. **Nōrit igitur hoc quilibet prædicator. Quā diu sibi non magis placent sacræ literæ quā alia scripta, sic ut peculiariter afficiatur ac ueluti rapiatur, dum illas uerbatim commemorat, certū est cum non habere gratiam dei ad prædicandum. Sed q̄ in ueritate uerbi dei laxat retia sua, pisces capit plurimos domino deo.** Curet itaq; prædicator uerba scripturæ proprie (quod aiunt) in forma citare, sciens uerbum illud sanctum spūs sancti plus operaturum in cordibus hominum, quā si uel sua uel aliorum hominum uerba recitet. Sic

Psalm. 126
Beda.

- Jeremi. 23** enim & Jeremias discrimen ponit prophetarum: Prophe-
ra qui habet somnium, narret somnium: & qui habet ser-
monem meum, loquatur sermonem meum vere. Sed ali-
as plura de efficacia & uirtute uerbi dei. Satis sit hic ad-
monuisse, efficax esse uerbum dei, quoniã omnia ille por-
tar uerbo uirtutis suã, inflammat illud etiam corda ho-
minum. siquidem sic Dauid ait: Ignitum eloquium tu-
um uehementer, & seruus tuus dilexit illud. & deus per
prophetam, Nunquid non, inquit, uerba mea sunt quasi
ignis, & quasi malleus conterens petram? Nihil ualidius,
nihilq; potentius est uerbo dei secundum spiritum san-
ctum intellecto. Recte igitur Petrus, quamuis adhuc re-
uens & penẽ semitrudus neophytus in fide, dicit: In uer-
bo tuo laxabo rete. Adeo ille seruebat in fide etiam ante
fidem. unde & tot & tantos pisces comprehendit, ut rete
solus extrahere non posset.
 3. ¶ Laxato itaq; reti, concluderunt magnam multitu-
dinem piscium. ubi pulchre in persona Petri ait Ambrosi-
us: Et ego domine scio q̃a nox mihi est, quando non im-
peras: nemo adhuc nomen suum dedit, adhuc noctem ha-
beo. o fructuosa humilitas. q̃ nihil ante ceperãt, magnam
in uerbo domini concludunt piscium multitudinem.
Non hoc humanãe facundiãe opus, sed supernãe uocatio-
nis & munus. cedunt disputationes hominum. fide sua
plebs credit.
- Prædica.** ¶ Disce hinc prædicator, non extolli, si quos uideas uer-
bo oris tui conuerti & fieri meliores. neque enim loqua-
citas tua id operatur, sed gratia dei, huic id omne seras ac-
ceptum. Multos pisces concludit Petrus. O salutarem ca-
pturam in reti apostolico, in q̃ q̃sq; se optet esse, iuxta il-
lud Sapientis: Inijce pedem tuum in compedes illius, & in-
torques illius collum tuum. O felicem capturam, capi &
concludi hoc ipso reti. sic enim de capriuis etiam Prophe-
ta loquitur: Post te ambulabunt uincti manibus, pergent
& te adorabunt. Sic omnes tum prælati tum prædicato-
res rete Petri eicere debent in uerbo Iesu Christi, & com-
plures capient pisces, hoc est, multas conuertent animas
hominum in mari mundi huius narrantium, quo nomine
recte pisces dicunt. sunt autem ex ijs mali alij, multi etiã

boni, ut testat parabola euangelica.

4. Euidens q̄q; argumentum tantæ multitudinis pl̄
scium deinceps ostendit euangelista, quos ceperat Petrus.

Rumpitur enim rete. Præ multitudine piscium, inq̄ **Beda:**

Beda, rete rumpitur, quia nunc ad confessionē fidei etiam

cum electis reprobi intrant, qui ipsam etiam ecclesiam

hæresibus scindant. Porro quod Petri rete rumpitur, ca-

ue intelligas factum propter ipsum Petrum: quoniam **Luce. 22**

sic constans est promissio **CHRISTI**, Ego pro te rogavi

Petre, ut non deficiat fides tua, sed pisces in causa sunt, q̄

rumpitur, quoniam in eo manere nolunt, quomodo rete

scissum est in circuncisione propter quorundam ludæo-

rum infidelitatem. **Roma. 12**

Isaie. 12 Navigans enim in ludæa Petrus, pau-

cissimos reti suo conclusit ludæos, sed multitudo genti-

um ingressa est. Et tamen ad finem reliquæ Israel salva-

buntur. Sic itaque rupturam retis, duobus modis intelli-

gere possumus: altero, ut **Beda** de hæreticis, qui latera ma-

tris ecclesiæ contundunt, atq; scandalis & erroribus scin-

dunt, unde & **Augustinus** supra retia ait multas hæreses

significasse. Altero autem, ut hic **Glossa** quæ intelligit de

ecclesia circuncisionis, in qua scissum est rete, quia non tot

intrât de ludæis, quot ex gentibus, qui alij nauis uecti suc-

cedunt. **Actu. 1. 5** Quid quod oportuit rumpi rete in malis? Nonne

enim ante **Iudas** retrocessit, & **Simon magus**, **Ananias** at

que **Sapphira** perierūt, quàm **Paulus** & **Barnabas** perueni-

rent in rete fidei? Porro quod ad mores attinet, scindunt

rete illud non raro prædicatores ipsi suis exemplis malis

& uita peruersa. Sic **Gregorius** ait, Ad hoc ut seruetur ueri-

tas prædicandi, teneatur necesse est altitudo uiuendi. &

in prima parte **Pastoralis**, Rete rumpunt, qui quod uer-

bis prædicant, moribus impugnant. Rumpunt quoque

retia qui piscantur noctu, carentes lumine scripturæ san-

ctæ, & uersantes in tenebris ignorantia & errorum, quo-

rum qui huiusmodi sunt, alios quoq; seducunt, tantum

abest ut conuertant, de ijs loquitur **Paulus** & ait, Volunt

et̄ legis doctores, nō intelligētes neq; quæ loquūtur, neq;

de quibus affirmāt. Idq; adeo nūc faciūt neochristianorū p̄-

dicatores, Quisq; itaque esse cupit bonus piscator **Christi**,

uideat ut instrumenta arma que piscationis suæ bona ha-

Luce. 22

Roma. 12

Isaie. 12

Beda.

Augustin.

Glossa.

Actu. 1. 5

Grego. su-

per Ieze.

1. Tim. 1

Matth. 4 beat doctrinam sanam & uitam sanctam. Quod si autem scissum habet rete, declinet ad portum: & descendens refarciat illud cum Iohanne & Iacobo.

¶ Quimque consideramus omnia ad piscationem hanc spectantia, hoc quoque adicere debemus, ut predicator sit iustus & doctus, atque omni errorum contagio immunis.

Rete quoque sit integrum, & non scissum exemplorum scandalo & uitae malignitate. Atque sic fiet, ut facile capiantur pisces. Sunt enim ex ijs quidam, qui metuunt nolintque sibi dici ueritatem. quo nomine suggestum & concionem cane peius oderunt & angue. isti nunquam capiuntur reti fidei & uerbi dei, nimium enim implicati sunt reti diabolico. Sunt alij quoque nimium magni, unde & rumpunt rete. Atque isti sunt qui magna potentia freti, mandatis Christi & ecclesiae parere recusant, adeo ut etiam contemnant. Et de ijs inquit **Propheta**, Confregerunt iugum, ruperunt uincula.

Jeremi. 5 Quamobrem & dominus non multos ex potentioribus conuertit, sed ex sapientibus mundi huius **Nicodemum tantum & Gamaliel**, ex diuitibus **Zacheam & Ioseph ab Arimathia**, ex principibus ceterationem & regulum.

Johan. 3 Actus. 5

Lucę. 19 **Matth. 27**

1. Corin. 1 Atque hoc est quod dicit **Paulus**, Videte uocationem uestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quae stulta sunt mundi, elegit deus, ut confundat sapientes, & infirma mundi. Multi quidem iam sunt piscatores, praedicatores multi sunt in ecclesia, sicut dominus dicit per prophetam: **Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur eos.**

Ambrosius. Rumpuntur retia, nec labitur piscis. Idque ad eo scrupulum alicui mouere posset, eo quod paulo superior diximus nonnullos disrumpere rete per sectas & hereses: quo rupro, isti utique excidunt reti ecclesiae Christi.

1. Johan. 2 sic enim **Iohannes** ait, Ex nobis prodierunt, quia non erant ex nobis. non ergo remanent pisces isti in reti. Neque quidem hoc est, quod haeretici non manent in hoc reti, & tamen quidam mali permanebunt in illo usque ad consummationem seculi, quando tandem segregabuntur mali a bonis. Atque ideo etiam mali pisces non semper excidunt reti ex quo

Matth. 23

et inque peccato, sed quo ad intellectum uerborum **A**mbrosii sensus hic est, quod pisces etiam scisso reti non excidunt, scilicet electi, quos deus cōseruat inter scandala persecutorum. Nos itaque iam dominum deprecemur, ut nobis quoque ille gratiam suam donare dignetur, mihi loquendi, uobis audiendi, quatenus ego reti uerbi dei ex uobis quoque pisces bonos capere possim quam plurimos, qui colligantur ad finem mundi in uasa felicitatis aeternae, quam omnibus nobis concedat deus pater, deus filius, & deus spiritus sanctus. **A**men.

HOMILIA TERTIA ET

ultima.

Post multa quae discipulis suis dixerat dñs, tandē iussit Petrum laxare rete, qui & cepit magnā multitudinem piscium, ita ut rumperetur rete. Annuerunt itaque socijs suis, qui erant in alia nauī, ut uenirent & adiuuarent eos. Sed quae est illa alta nauis, nisi forte Iudaea? **A**mbrosii d.
facta est enim Iudaea sanctificatio eius. Sic ergo & isti ex **Psalm.** 133.
synagoga uenerunt ad nauiculam Petri ecclesiam, ut implerent nauim utranq; quoniam omnes curuant genua sua in nomine Iesu. **Beda** etiam ferme ad hunc sensum exponit, nisi quod per alteram nauiculam significari putat ecclesiam ex gentibus collectam. scit enim dominus qui **2. Tim.** 2.
sunt eius, est q; apud illum definitus electorū suorum numerus. Quando igitur non tot fideles inueniebant apud Iudaeos, quot nouerat ille praedestinos ad uitam: quae si uir etiam corda gentium, quae uelut alteram nauiculam piscibus, sic gratia diuina repleuit & perfudit. **O**bseruabis autem hic, quod quum prelatas unus extrahendo reti nō sufficit, potest ille etiam alios extra suam nauiculam aduocare, sicut coadiutores & praedicatores constitui uidemus: quoniam & **Petrus** hic socios suos ex altera nauī ad se uocauit. Per hoc tamen nihil minus uolo, quam excusatos habere eos, qui rete hoc ne digitulo quidem minimo tangere uolunt, nec quicq; in eo trahere: rotum autē illum trahendi laborem in alios reijciunt, atque interitū

avidissime pisces, quos non ceperunt, deuorant. Hi nimirum isti sunt, qui nec predicant, nec quicquam aliud agunt circa curam animarum, tantum census quaerunt & redditus, curandi autem animas laborem omnem mercenariis relinquunt, iniquissime sane & iniuste. Rectius faciunt, qui in parrem sollicitudinis quosdam aduocant, ut hic Petrus socios suos, & Christus duodecim uocauit apostolos, atque deinceps septuaginta duos discipulos. Idipsum sane iniquum non est, coadiutores accire.

Theoph. ¶ Nutu igitur socios suos uocat Petrus, quia propter stuporem magnū loqui nequibat. Atque uenerunt illi, & utraque nauiculam impleuerunt. Harum impletio nauium adhuc semper & usque in finem seculi crescit, nosque adeo omnes quotquot praedicamus, hanc nobis sumimus impleendam, sed quid hoc, quod penes mergebat? Sane Ambrosius

Ambrosius. merfione hanc eo refert, quod in multitudine tanta plures futuri sunt mali, quoniam oportet haereseis esse, ut probentur iusti. Alii sic intelligunt, quod quamuis non submersae sunt naues, in graui tamen periculo extiterunt, ita Beda inquit iuxta prophetiam Pauli, quod nouissimis diebus erunt tempora periculosa, & homines sui amantes. Aut nonne illud hoc nostro seculo ita fit, quando haeretici isti nauiculam ita huc illuc agitarunt, ut periculum sit de merfione, nisi CHRISTVS fauore suo eam sustentaret? Vos autem ne moueamini, neque meruite quicquam, ut ut sauiant neochristiani, estote cordati & fortes. Certum est illud, quod saepe adduximus. Pij Papae:

Beda. Fluctuat & nunquam mergitur illa ratis. Fides ista petri antiquissima non deficiet, quin magis triumphabit, haereseis omnes definent, sicut & nulla haecenus haeresis per mille quingentos annos praualuit aduersus ecclesiam Christi.

Matth. 14. ¶ Potest autem illa merfio sic intelligi, quando homines rursus recidunt in mundum per peccatum, unde per fidem educti fuerant. Prior tamen illa expositio magis cum sacris literis conspirat. siquidem sic & apud Mattheum legimus, quomodo uenti impellebant nauiculam prius, quam ingrederetur in eam dominus: statim autem cum conscendisset ille in eam, cessarunt uenti. Neque uolum

est illud, periclitari nonnunquam ecclesiam & fidem nostram. Ecce enim Cain persecutus est Abel & occidit, Esau infectatus est Iacob, ipsiq; adeo fratres Iosephum, Saul Dauidem, & Absolon eundem patrem suum. Iudæi simul & gentiles conati sunt fidem hanc nostram extinguere, lapidibus, gladijs rotis, læcis, cructibus, igni, aqua & si quid aliud restabat, quod in supplicium uerti posset. Usque adeo semper nauis hæc graues sustinuit uentorum turbines, neque tamen merfa est unquam, quod habeat gubernatorem sapientissimum spiritum sanctum, hic enim est qui custodit eam. Mergi autem in profundum oportet hæreticos omnes. Iam olim in Scyllam impexit Artus, Nestorius offendit in Charybdi, & parum uigilans iste Dormitantius, sed quid aio? Vigilantius dicere uolebam, ad Maleam legens, dum quæ domi habet, obliuiscitur, insigne fecit iam olim naufragium. Atque iste anser hæreticus Huls, & alter ille Oecolampadius, necnon Zuinglius iste, & alij innumeri, profunda submersi sunt uoragine: quique ex ijs supersunt, mergentur adhuc atra caligine inferorum, nisi penitentiam egerint. Et sustinere interim atque tolerare oportet ecclesiam istos hæreticorum insultus, qm omnes qui pie uolunt in Christo uiuere, persecutione patiantur.

1. Videns itaque hoc Petrus, tanquam peritus piscator, colligere poterat id naturaliter non fieri, atque id eo procidens ad genua Iesu, dixit: Exi a me domine, quia homo peccator sum. Quos, inquit Ambrosius, in uerbo capir, uerbo credit, negat suam prædam, negat suum munus. Exi, inquit, a me domine. Admirabatur enim dona diuina, & quo plus mirabatur, præsumebat minus. Tu tamen uide quam egregie miraculum hoc CHRISTI expendit Petrus, quamq; honeste se coram CHRISTO exhibuerit, dum & ad genua illius procidit, & uerbis indignum se declarauit, qui secum haberet dominum. itaque dixit, Exi a me domine, quia homo peccator sum. ad alium uide, qui me dignior sit, sic Moyses enim amfecit, dum dominum in ardenti illo & incombusto ruo conspiceret. Sic admirabundus obstupuit Petrus in monte Thabor. Et quum dominus de passione & mor-

Hæretici
naufragi.

2. Tim. 3

Ambrosi

Exod. 5

Matth. 17
Luce. 9

te sua diceret, sic ille cupiisset cognoscere etiam prodito
 Johan. 15. rem Christi, ut eum occideret. Quando itaq; peccator erat
 Augustin. Petrus, utiq; domino indigebat, ut iustificaretur, unde &
 Augustinus dicit, Ut piscator loquitur Petrus, dominum &
 deum salutis secum habebat, & ei dicebat, Exi à me do-
 mine, ac si infirmus medico curanti diceret, Exi à me, quia
 ægrotō. Domino autem dixit hoc Petrus amore humili-
 tatis. Atque id ipsum etiam omnes debent facere prædi-
 catores, qui quum reti suo multos ceperint homines, su-
 perbire non debent, sed dare gloriam deo & proclinare
 ad genua Christi.

¶ Neque sic iam corripuit dominus Petrum ut alibi,
 sed magis confirmavit. adhuc enim incipiens & neophy-
 tus erat in fide, cuiusmodi homines lenius semper sunt
 tractandi. sic & Beda ait, confortat dominus timorem
 carnalium, animosq; fragilium consolando erigit: ne
 quis uel de suæ conscientia culpæ tremens, uel de ali-
 orum innocentia stupens, sanctitatis iter formidet ad-
 gredi. Noli timere, inquit ad Petrum, ne uerearis pusil-
 lanimis, infirmus, indoctus. Ego te magnum adhuc faci-
 am, quoniam homines capies, ait Ambrosius, Noli timere
 re, indulgenti domino peccatum fatere. noli timere etiam
 quæ tua sunt domino deferre: quia quæ sua sunt, ipse nobis
 concessit. Ecce quàm ille plane mirissimus est, qui tot ho-
 minibus potestatem dedit uiuificandi homines. Ex hoc, in-
 quit, iam homines eris capies. Atq; hoc ad ipsum Petrum
 specialiter pertinet. Exponit enim ei dominus, quod hæc
 captura piscium significet: quod uidelicet ipse sicut nunc per
 retia pisces, sic aliquando per uerba fit captura hominum.
 Rursus hic prædicatores docentur, qualem habere debe-
 ant adfectum, scilicet capiendi homines & acquirendi deo,
 neq; enim animus eorum præcipuus esse debet in bonis ter-
 poralibus, in opimis sacerdotiis, sed in salute animarum.
 Quomodo autem apostoli nauiculas istas reduxerint ad
 litrus, & relictis omnibus sequuti sint dominum, illo eo-
 dem fortunante, dicturi sumus in festo Andreae, aut alie-
 rius apostoli. Quamuis autem penè consimilis historia
 apud Iohannem descripta est de multitudine piscium,
 Iohan. 21. quos cepit Petrus, eadem tamen non est, sicuti nec una

utriusque significatio, quod Augustinus multis de causis ^{Aug. sup} ^{Johānis} affirmat.

1. ¶ Quoniam piscatio hæc primo facta est anno sue prædicationis, illa post resurrectionem, denique ante ascensionem.

2. ¶ Hic Christus in naui sedet, illic in littore stat.

3. ¶ Hic iubet simpliciter retia laxari, illic etiam in dexteram partem eijci.

4. ¶ Rumpuntur hic retia, illic non item.

5. ¶ Hic pene dimersa est naus, illic non.

6. ¶ Hic geminam habent nauiculam, illic unicam.

7. ¶ Hic utranq; implēt, isthic retia simul cum piscibus pertrahunt ad litus.

8. ¶ Hic nullus exprimitur piscium numerus, isthic capi commemorantur 153. magni pisces.

¶ Hinc luce clarius apparet, duplicem illam fuisse piscationem. Quod autem & gemina utriusque sit significatio, idem ille testatur Augustinus. Quandoquidem hæc ^{Duplex} ^{piscatio.} designat quomodo animarum curatores piscari hic soleant animas, ut easdem in nauiculam adducant ecclesiæ. Illa porro apud Iohannem hoc representat, quomodo tandem pisces boni capientur, & ad finem mundi eligentur in uitam æternam. Atq; hinc iam octo illa discrimina factis patent. Siquidem quia ultima ista fuit piscatio, Christus commemoratur stare in littore felicitatis æternæ, post resurrectionem iam suam glorificatus, ubi & pisces in idem litus attrahuntur. Atque hoc est quod piscatio prima facta est in terris, navigante tum CHRISTO quoque in mari. Et quæ absolute laxari iussit retia, quoniam ^{Matth. 13.} hic in ecclesia boni & mali sunt pisces, zizania quoque & filices cum tritico crescunt. In die autem nouissimo rete illud tãrum in dexterã iacietur ad eos, quibus dicit dominus: Venite benedicti patris mei &c. Rumpitur hic rete ^{Matth. 13.} quoniam multi sunt in eo nulli (ut est in prouerbio) magni & mali pisces, neque pauci ipsi per hæreses se inde precipitant in mediam maris uoragine: illic autem boni tantum erunt, qui rete non rumpunt. Hic mersionem minantur naues, quoniam illa nauicula ecclesiæ multos sustinet impetus: ad hæc, plurimum in ea est indigesta ple-

Apoc. 21 bis, quæ uitam & ordinem honorum non seruat: Isthic uero abstergit deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, & amplius non erit neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor. Ideoque & hic pisces sub aqua trahuntur ad littus, siquidem boni homines post mortem abscondiri latent in somno pacis, donec perducantur ad littus resurrectionis. Hic nauiculæ duæ sunt ex Iudæis & gentibus collectæ, illic una tantum, quoniam & ouile, unicum erit in uita æterna. Eoque nomine illic pisces magnos tantum ceperunt, siquidem sancti omnes reges magni sunt & sacerdotes. Vnde dominus quoque dixit: **Quis** quis fecerit & docuerit, magnus uocabitur in regno caelorum. Atqui hic in mari mundi huius pisces capimus magnos & paruos, bonos malosque: & pars quidem in reti permanent, pars rupto reti excidunt, alios quosdam tandem ad consummationem mundi efficiunt. Deus & dominus noster gratiam nobis suam impartiarur, quatenus & nos hic capiamur in nauicula ecclesiæ, & in die nouissimo cum alijs magnis piscibus concludamur ad dexteram, pertrahamurq; ad littus felicitatis æternæ, quam omnibus nobis concedat **Christus Iesus dominus noster.**
Amen.

DOMINICA SEPTIMA

PTIMA POST FERIAS PENTECOSTES

tecostes euangelium

Matthæi V.